





D. O. M. A.

DISPUTATIO

## MISCELLA,

QUÆSTIONIBUS ALIQUOT PER  
SATURAM CONGESTIS

⁊

*In placida συμφιλολογίας materiem*

PUBLICE PROPOSITIS

à

M. CHRISTIANO GALLO, HAL.

Philosophicæ Facultatis Adessore;

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO WILDVOGEL

Leucopetr. Magisterij Candidato.

IN INCLUTÆ LIPSIENSIS

Majori Principum Collegio, Auditorio inferiore:

*Ad 6. Id. Dec. Anni cId Idc XXI.*

L I P S I Æ

Excudebat JOHANN Glück.



Generale... O. D. ...

DISPUTATIO... VVAED. Equiti

MISSCELLA

... & Con. ... VIRIS,

SCHULTES, J. U. D.

... Practico... benina.

ABELL PICNERO,

M. CHRISTI... HAL.

... & multiplici... Pa...

CHRISTOPH... VVAEDVOGEL

... & ...

... & ...

... & ...

... & ...

... & ...

Regensburg

In... Uo... dan... inep... nion... com... alia... gine... tanqu... corrip... Sane sua... nomina... tionis ma... oris, ubi... rogimur... cam stuc... ut huic... At... Qu... atine dica... deducit mupe... hanc uiler...



## Introductio.



Uemadmodum verba quædam de puerperio ad rem literariani non ineptè traducuntur; ut dum libros ingeniorum foetus dicimus; eosdemq; ubi communicantur, nasci: (credo præter alia, quoniam Pallas è cerebro Jovis originem traxit) ita nos, magnum scientiarum desiderium, tanquam grandem uterum gerentes, hâc interdum malaciâ corripimur, quòd obvia quævis legendo degustemus. Sanè sua prægnantibus lubido (ab insolente varietate picam nominant) pluries conceditur: nobis quoq; liceat in disputationis materiem hinc inde desumpta proponere; hoc temporis, ubi spatium justo exclusi sub manum venientia arripere cogimur. Imploramus autem non Deos Nixios; sed unicam studiorum nostrorum obstetricem, divinam gratiam, ut huic partui ad præsentaneam nostrî utilitatem adesse velit. Atq; hinc sit

### QUÆSTIO I.

An Latinè dicatur *Præter-propter* & quâ notione?

*Huc nos deduxit nupera De Mundo Disputationis discussio, à quâ præter alias hanc utilitatem percepi, quòd unum aut alterum*

A 2

è Scri-

è Scripturibus propterea consulere excitatus sum. Caterum duo sunt quasi membra. Primum: An Latine dixerim us Præter-propter? Certè, Grammaticus quidam apud A. Gellium lib. 19. cap. 10. cum nomine non in celebri Roma doceret, aliquando rogatus: quid hoc verbi significaret? respondit: quæri honore quæstionis minimè digna: se nescire, quid hoc præ nimis plebejorum sit & in opificum sermonibus quàm notius. Verùm hoc idè dixisse mihi videtur, imò res ipsa clamat, quò inscitia notam amoliretur. Attende: plebejam increpat vocem, ut qui de eâ interrogare vellet, stuporis timeret incusari. Et miserè tamen ignorat M. Catonem, M. Varronem, ac plerumq; superiorem ætatem hòc vocabulò, ut necessariò & Latinò usos esse. Ennium præterea in Tragediâ, qua Iphigenia inscripta est, cujus hi habentur versus:

Otiò qui nescit uti plus negotij habet,  
Quàm cum est negotium in negotiò.

Nam cui, quod agat, institutum est, nullò negotiò  
Id agit, studet, ibi mentem atq; animum oblectat suum.  
Otiò initiò animus nescit, quid velit:  
Hoc idem est, neq; domi nunc nos, neq; militiæ sumus:  
Imus hùc, hinc, illùc, cum illùc ventum est, ire illinc lubet.  
Incertè errat animus, præter-propter vitam vivitur.

Exinde præter-propter vox de honesta non est & deculpata. Est plebi non ignota: at proba quoq; est Autoribus, quos ille rejicere Grammaticus nec poterat, nec volebat. Verùm quâ notione usurpanda venit? Hoc alterum propositæ quæstionis caput est. Ubi memoriam nostram excitemus ad alia eòdem modò formata. Solitum erat veteribus Præpositiones inter se componere: ut: Insuper, Ex adversum, De procul, &c. quod & his (præter, propter) contigit. Quarum altera à præ venit (Græcum erat πρῆν) altera à prope; quod πρὸς πρὸδῶν. Scaliger de Causis  
Lat.

Lat. ling. cap. 157. Illa excessum denotat, velut Ultra; sive  
addita terminum significant, sive quasi terminum, ut: Præter  
consuetudinem. Hac verò vicinitatem quandam, ut Juxta.  
Sic Varro: Att. st. atus est Fortunam, propter cuius aram ea hostia  
erat casa. Postea retulerunt ad usum causæ finalis; ut: Pro-  
pter modestiam: quoniam finis coheret (sive proximus est) actioni.  
Scal. dicto loco. Et sicut locus est terminus, ita quoque finis.  
Atque ex his conferruminatum est præter-propter. Jam compo-  
sita Præpositiones in Adverbia degenerant, quando casus amittunt:  
si verò hos sibi retineant, cur non tales manebunt? Utriusque exem-  
plum, meo iudicio, in AGellio habemus. Siquidem citatò cap.  
primum introducitur Fronto, sermonem instituens de sumtu bal-  
nearum: ad quem Architectus ait, videri necessaria esse HS. ferme  
trecenta: hic unusex amicis; & præter-proptèr, inquit, alia  
quingenta. Inde constructio talis est: Necessaria sunt alia  
quingenta præter-proptèr, i. circiter. In nostrâ vernaculâ  
ohngesehr / beynaher / aut (nisi fallor) neben zu: in quò idem ap-  
paret componendi modus. Dicimus etiam: Drüber oder drun-  
ter: Hic autem rò præter-propter nequit esse præpositio: cuius  
quasi anima casus est; qualis ab illò nullus regitur. Dicitio enim  
(alia) cum his (necessaria esse) coheret. Sed, inquires, quale fo-  
ret Adverbium? Remittendi, inquam. Intellego verò (verba  
sunt Scaligeri, cap. 158. de Adverb. Ferè) diminutionem non  
magnitudinis, sed præscriptionis, ut aliquid detrahatur firmitati  
sententiæ; ut dicere nequeam: Quingenta præcisè sunt neces-  
saria; & item nequeam: Omnino quingenta sunt necessaria.  
Porro allegatur posteriùs sententiâ Enniana, quales severissimæ  
Philosophorum esse objurgationes solent. Ea sic desinit: præter-  
propter vitam vivitur. Hic accusandi casus (vitam) cum verbo  
construi nequit. Ergò ab aliò regitur. Scaliger cap. 157. ait:  
Præpositionem præter, totum quod sequitur excludere. Itaque sen-

tit præter esse Præpositionem, quæ posteriora duo vocabula regat, tanquam unum. Inde negat esse à veteribus præter pro præterquam: quod tamen plerique Lexicographorum inculcant, ita hæc interpretati: Sic vivimus, ut videamur propter quidvis potius vivere, præterquam propter vitam. Quò simul Scaligeri mens recidit: ista enim ipsius quoque verba sunt. Ego tolerari posse utraq, persuasum habeo: sed tamen & ita explicari posse Enniana scio, ac si præter-propter esset Præpositio composita, denotans idem, quod Circa: sicut supra adverbialiter sumta idem erat cum Circiter. Et tum Metaphora à viantibus ducta esset. Ut enim verà viâ excidentes modò novum iter tentant, modò priora remetiuntur vestigia, eoque difficilius metam contingunt, quò diutius gradiuntur: Sic aliena agentes obiter vivunt & circa vitam vagantur, eam non attingunt. Certè ἀλλοτρίοις ἰσχυροῖς falsis imaginibus, tanquam fatuus Ignis, oculos mentis deludit; ut, cum hæc à verò longè sit à via, nihilominus se scopum attigisse simulet. Quà de causâ Curius Dentatus apud Senecam festivè dicebat: Malle se esse, quàm vivere mortuum. Quia uti modulatione tibiarum finitâ, nihil ex concentu illò residuum audientibus manet, similiter optimò vitæ usu sublatò, ipsa tota disperit. Richer. cap. 2. Et sic constitum esto, præter-propter aliquando adverbium esse, uti & nos antehac usurpavimus: interdum Præpositionem, eadem significatione. Quæ differere volui in nullius præjudicium. Quòd si quis putet, non esse optimi Artificis, omnia persequi; quod Galce no tribuunt: is sciat, metalem non esse; aut etiam, superfluis faciliùs demi, quàm addi deficientibus, noverit.

## II.

### Quot Grammaticorum sint genera?

Quia



Quia Grammatici mentio modò apud AGellium facta  
est, videamus, quid ille curet. Non dubium est, nec ignotum,  
γραμματικὴν in Græciâ dictam, quòd γραμμή, linea & γράμμα  
litera nuncupentur. Capella lib. 3. de Nupt. Philol. & Mercu-  
rii. Literæ autem significant & voces & eruditionem. Unde  
Grammatici dicuntur I. qui pueris prima tradunt elementa.  
Horum olim officium erat, dirigere & vocem ad aptam lectionem  
& manum ad scriptionem atq; computationem. VVovver. de  
Polymath. cap. 5. De scriptione Seneca pulchrè, epist. 94. Pu-  
eri ad præscriptum discunt, digiti illorum tenentur, & alienâ manu  
per literarum simulachra ducuntur. Deinde imitari jubentur  
proposita & ad illa reformare chirographum. Inde illud Tertul-  
liani de Pallio cap. 6. Primus informator literarum & primus  
edomator vocis (quem Junius in Notis, malè Phonscum in-  
terpretatur) & primus numerorum arenarius. Hos Græci  
Grammatistas vocabant & eorum artem Grammatisticen, ante-  
cursoriam Grammatices, non ipsam. Unde patet, imperitos esse, qui  
Grammatici nomen tyrannâ quâdam impotentiâ ad sola illa abie-  
cta detrudunt. De quo docti jure conqueri possent & angere, quemad-  
modum Antigenides ille tibicen, qui parùm æquo animo ferebat,  
quòd monumentarij Ceraula tibicines dicerentur. Politianus  
in Lam. II. Grammatici propriè quondam vocabantur γραμμα-  
τικοί, ἐξηγητικοί, κριτικοί. Grammaticorum enim officia legere,  
enarrare, emendare. Technicus rectè loquendi scribendiq; ra-  
tionem tradit. Hic quia conjunctior est Grammatistæ, vocaba-  
tur cum eòdem Literator; S. Augustino est Literio; Ars autem  
Literatura. Aliàs dicitur Grammaticus Μεθοδικός: Diomedis ὀργισ-  
τικός, alijs Θεωρητικός, respectu sequentium, qui πραγματικοί. Exegeticus  
est, qui obscuros sensus questionesve in verbis aut rebus explanat.  
Quibusdam à parte subiecti alterâ est Historicus. Tales Histo-  
rici (verba Josephi Scalig. in Diatribâ de Criticâ) qui præcipuè  
sub

sub Poëtarum interpretatione in fluminum, montium, regionum  
nominibus occupantur; abstrusas historias aut υπολογύμινι, aut  
στοιητικῶς θεολογούμενα explicant; Genealogias Deorum, Heroum  
ac Priscorum diligenter rimantur. Philologi aliàs audiunt. Cri-  
tici deniq; sunt, qui de Autoribus iudicantes, sua cuiq; opera vin-  
dicant, & germana à suppositijs discernunt; quod peculiariter  
Judicium illis vocatur. Tum (quod Emendatio) non proba-  
tribus moventes spurijis notas addunt, transposita suis sedibus vin-  
dicant, διττοῖς χεῖσιν, seu duplices & ambiguas lectiones recensent,  
perperam ab Autoribus scripta refutant; sed & aliorum Critico-  
rum temerè scita castigant. Conciliatio etiam sententia-  
rum in Philosophis ad eos pertinebat. Scalig. & VVovverius,  
citatt. II. Quod verò non puto extendendum supra quod ei licere  
potest, qui in primò Philosophia aditu haret. Apud Hebraeos  
Masorithæ sunt, qui apud Græcos Critici: ἰσγῆ, Critica Masora  
vel Masoreth vocatur. Quod vocabulum per Synecdochen spe-  
ciei significat doctrinam, à priscis Sapientibus traditam, circa tex-  
tum sacrum Hebraum, genuinae ejus lectioni conservanda inservi-  
entem. Vide Buxdoiff, Tiberiade. Talis apud Latinos Gram-  
maticus volebat etiam esse, quem Fronto accersebat ob vocabulum  
præter-propter: Istud enim incipiebat ἀθετεῖν ἢ ὀβελίζειν, seu  
deculpate; quod verbum ibidem AGellius habet & Criticorum est  
proprium. Sed contra hæc Scalig. cap. I. de caus. Lat. ling. ne-  
gare videtur, Grammatici officium esse interpretandorum Auto-  
rum. R. De Literatore hoc dicit, quam vocem etiam subjecit. Simi-  
liter intelligere poterimus locum cap. 98. dum ait: non esse à Gram-  
maticis observandum, utrum legendum sit apud Virgilium in Æ-  
neid. Lavina, an Lavinia; Sed quomodo Poëta scriptum reliquerit.  
Qualis autem sit hæc Divisio: & an Grammaticus à se ista curet;  
an quia etiam Philosophus sit? jam nec determinare volo, nec neces-  
se habeo. Audiant solùm illi, qui Grammaticum salutari contume-  
liam

liam arbitrantur, crimen hoc doctis obiectam, magnò eos ambitu  
expetere & ultrò profiteri. Sciant quoq; proclivius esse vel in tri-  
plici Jure Doctòris nomen, quàm semel boni Grammatici titulum  
promeruisse: Ut habet Erasmi de Grammaticis Elogium,

### III.

An à Grammaticis peti debeat τῶν πολυσή-  
μων distinctio?

Vidimus Grammaticorum diversitatem, quorum posterior  
semper idem præstare debet, quod prior. Criticus enim sua perficere  
nequit absq; ope Grammatica Exegetica ac Methodica: hanc  
verò etiam prior præsupponit. Tantam obiecti latitudinem ubi  
videris, fortasse quæras: An igitur vectigales erunt Philosophi  
hominibus tam abjectis, ut eos nominum explicationem petant?  
Bona verba quæso. Ita devinctæ sunt disciplina, ut sibi mutuas  
prestant operas; neq; ideò unius & alterius nobilitas vacillat. Et  
si me inaudias, ego sic censeo: Quælibet doctrina suos habet termi-  
nos, quos in medium ponit & quomodo acceptos velit, explicat:  
homonymias ex aliâ disciplinâ natas non adducit, nisi commenta-  
rij locò, easq; à Grammatico collectas. Qui videns, diversimodè  
interdum vocabula sumi, ideò quia communia sunt pluribus disci-  
plinis diversis; colligit ea & in suas thecas reponit, liberaliter com-  
municaturus, ubi quis poscat. Tametsi hoc Scaliger inficiari vi-  
detur, Exercit. 1. Sect. 3. in quâ negans Dialecticum posse dispu-  
tare de omni Ente, addit: alioquin eâdem lege Grammaticus diceretur  
per omnes vagari scientias; ejus enim instrumentis utuntur  
omnes. Verùm Grammaticus illi sumitur pro Literatore, ut an-  
teà dictum: hujus enim sunt instrumenta illa omnibus disciplinis  
quoad usum communia; intellige Personam, Casum, Declinationem,

B

Conju.

Coniugationem, &c. Quamquam ut verum fateamur, paulum alienus ab illò Grammaticorum officiò Scaliger. Sic enim ait, l. 1. Poët. cap. 5. Nihil non audent judicare Grammatici, postquam arti suæ tertiam partem  $\kappa\rho\iota\tau\iota\kappa\eta\nu$  adjecere. Non enim tanquam Grammaticis judicium illud potest esse attributum: Sed existimandum est primi Philosophi officiū, penes quem jus est omnium Scientiarum. Quare stultissimè nobis nomen Grammatici imponunt (ob libros De caus. LL.): Omnia enim illa ad libellam Philosophi appensa sunt. Hinc videmus agrè ferre subtilitatis Scriptorem, sibi nomen hoc tribui. Nos quidem concedimus, Grammatica principia non posse in eà arte, cujus sunt principia, probari; & Metaphysicam esse scientiam  $\alpha\rho\chi\iota\tau\iota\kappa\tau\epsilon\nu\iota\kappa\eta\nu$  speculativò (non practicò) imperiò, dum reliquis scientijs particulam Entis concedit considerandam, illarumq; principia, quoties hostili impetu convelluntur, protegit. Verum exinde concludendum non est, Grammaticum prohiberi voces excutere. Imò si disciplina aliæ per se & non commodatè quasi homonyma enodarent, verba potius traderent, quàm res ipsas. Itaq; ratum esto: unamquamq; quidem scientiam vocum suarum significata proponere,  $\pi\omicron\lambda\upsilon\sigma\eta\mu\omega\nu$  autem distinctiones à Grammaticis peti debere; non illis, qui declinandi formam præscribunt, sed alijs, quos in triplici Grammaticorum divisione Scaliger filius contra Patrem & agnoscit & Methodico postponit. Citat à modò Diatribâ de Criticâ.

#### IV.

An Scholasticus sit animal, quod ab omnibus deridetur?

Rerum civilium imperitum Germani per contemptum vocant Hominem de Scholâ. Galli similiter, nomine artium tantum

tum affectis congruente unPedant. Sumitur autem Scholasticus, re-  
ferente Rittershusio, Notis ad Salvian. I. Simpliciter pro  
homine literarum studioso & qui Musis vacat, sive sit inter incipi-  
entes, seu proficientes. Hanc vocem primitus inventam à The-  
ophrasto, annotat Casaubonus, in Histor. August. Scriptores.  
S. Augustinus in Dialect. Cum Scholastici solum proprie & pri-  
mitus dicantur ij, qui adhuc in Scholâ sunt, omnes tamen qui in  
literis vivunt, nomen hoc usurpant. Atq; ita contradistinguitur  
Idiota. II. Aliquando denotat hominem elegantem, studijs qui-  
dem imbutum liberalibus, sed & moribus politum. Tunc opponitur  
barbaro. Sic B. Hieron. Catal. Scriptor. Eccles. Serapion  
ob elegantiam ingenij, Scholastici cognomen meruit. III. Ponit-  
tur pro Disertò & Eloquentem; sive facundiam ad alia transferat;  
uti Salvianus Episcopus multa scripsisse dicitur Scholasticò & aper-  
tò sermone. Gennadius, lib. de Viris Illust. sive peculiariter  
eam causis destinet. Atq; hæc iterum acceptio variat. Nam, 1.  
Advocati, sive patroni causarum vocabantur Scholastici. L. 2.  
Præter Solennes, lib. 12. C. tit. 62. De Lucris Advocat. & con-  
cuss. off. seu apparitorum. Quia in ijs præter Juris scientiam fa-  
cundia requiritur; unde & quasi propriò epithetò salutantur Viri  
Facundissimi & Disertissimi. L. 13. Petitionem virorum disertiss.  
lib. 2. C. tit. 7. De Advocatis divers. judiciorum. Et L. 6. Re-  
stituendæ sunt clariss. S. 3. Et L. ult. De constitutione divinæ  
recordat. sub fin. lib. 2. C. tit. 8. De Advocatis diversorum  
Judicum. Alijsq; in locis. Hinc August. tract. 7. in Johannem.  
Qui habent causam & volunt supplicare Imperatori, querunt a-  
liquem Scholasticum, à quò sibi preces componantur. Deinde  
etiam Scholastici dicebantur Declamatores, qui aliàs Sophistæ;  
vid. Antonin. Imperat. lib. De vitâ suâ; aliàs Rhetores, Ta-  
citus, De Orator. Adolescentuli nostri deducuntur in sce-  
nas Scholasticorum, quos Rhetores vocant. Hi in suâ manentes

umbrâ, fori lucem vitabant & fictis tantùm causis ac declamatio-  
nibus se aliosq̃ exercebant. Talem Scholasticum Plinius lib. 2.  
Epist. 3. vocat Isæum, quò genere hominum nihil ait aut simpli-  
cius, aut sincerius, aut melius. Nos enim (pergit) qui in forò ve-  
risq̃ litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addisci-  
mus. Atq̃ ab illiusmodi simplicitate etiam in contemptum tales  
veniunt, maximè ad vulgus: ut venustè dixerit Epictetus apud  
Arrian. libb. Dissert. Σχολαστικὸν εἶναι ζῶον, ἃ τὰ πάντα καταγιλῶσι.  
Quod dum ingenuis evenit & intra suos manentibus cancellos, cul-  
pamus: at verò ubi umbratici prodeunt & omnem virtutem in so-  
lâ sententiarum verborumq̃ culturâ ponunt, maneat illos hoc pre-  
mium. Sicuti etiam perstringuntur à purissimò impuritatum  
Amanuensi Arbitro, pag. 1. quòd & rerum tumore & sententia-  
rum vanissimò strepitu hoc tantùm proficiant, ut cum in forum ve-  
nerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideò ado-  
lescentulos existimat in Scholis stultissimos fieri, quia nihil ex ijs,  
quæ in usu habemus, aut audiant, aut videant. Et qui inter ta-  
lia nutritantur, non magis sapere posse putat, quàm benè olere, qui  
in culinâ habitant. Atq̃ hinc quondam, verâ Eloquentiæ regulâ  
obmutescente, fiebat, ut ejusmodi Declamatores, quo Auditorum  
laudibus & probationum signis disertissimi proclamarentur, cœnas  
exhiberent, aut sportulas & nummos darent. Plinius, lib. 2.  
Epist. 14. Refractis pudoris & reverentiæ claustris omnia patent  
omnibus, nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur Auditores  
Actoribus similes, conducti & redempti mancipēs, convenitur in  
mediâ Basilicâ, ubi tam palàm sportula, quàm in triclinio dantur.  
Ex iudicio in iudicium pari mercede transitur, &c. Tales risu di-  
gni sunt è tertiò Scholasticorum genere. Ex altero, qui vultu ex-  
ternò Philosophiam profiteri volunt. Vel etiam qui eidem dediti,  
intra modum elegantia non consistunt, viri seu iuvenes

— — — ut foemina comiti,

Purpu-

Purpuram premunt, unguenta olent, mollitie hodiernâ  
(quam urbanitatem somniant) Scholæ asperitates, si placet, mi-  
tigant. Quasi verò inani potius melanthiô & cyaneis agri seren-  
di essent, quàm in amanis frumentis: quod cur non faceremus, Indi-  
quidam in Europam transvecti quasi verunt. E primò genere  
videndos puto omnes, qui disciplinarum putamina sectantur, nu-  
cleis relictis. Ut fuerunt Doctores dicti Scholastici, quos ob pe-  
culiarem philosophandi modum huc refero, postea iterum nomi-  
nandos. Pariter Philosophi, qui uni Scholæ student, non vitæ.  
Quales singulatim enumerare, esset diem non unum perdere. E-  
xemplò tamen sit principaliter Grammaticus Gellianus, qui de vo-  
cabulò quæsitus labat; ac multùm sudans & rubens multùm, sapi-  
entiam tamen suam uni communicaturum spondet, propter invi-  
denda fortè plebi mysteria, ne inscitiores audirent ac discerent.  
In eâ scilicet voce, quam usurpare solùm putabat eos, qui studio-  
rum sunt rudes, literarum profani, expertes artium nisi sordida-  
rum, ut Pistorum præcipui, ita postremi Philosophorum (liceat  
scommate Ethnicorum in Christianos hinc uti, è Minucij Octa-  
viô). Videtis hominis iactantiam! Quapropter & jure à plerisque  
prolixius ridebatur. Succedit Xenocrates, qui ut resciret nume-  
rum Syllabarum, maximam vitæ partem in copulandis literis con-  
sumsit, neq; ex tantò labore aliud, quàm centies millena ducenta  
circiter millia Syllabarum consecutus est. Eòdem in censu Aristo-  
machus Solensis, qui nature muscarum indaganda, pulicumq;  
saltibus metiendis sexaginta annos impendit. Hoc si non est in-  
eptire & ut Galli dicunt, Pedantizer; certè & Ægyptij, dum  
frugiferis arboribus inutiles Corymbos præponerent; & veteres  
Hispani locò unguentorum stercoribus usi, prudenter vitam in-  
stituerunt. Richer. cap 2. Meò quidem votò hi stulticiæ suæ pæ-  
nas luant, R I S U. Alios autem rerum suarum vel in Scholis sat-  
agentes, ridere; illorum est, quorum protervitati optimi cujusq;  
inte-

integritas scopus erigi solet. Qui ut Dracones, quos Poëta in Hesperidum hortis collocant, indefessâ acie ad Doctorum fores excubias agunt, eorum mores, actiones & tantum non nutus curiosâ diligentia observant, ut ubiq; captent levium errorum auras, quibus calumnia sua vela impleant. Nos ab his impetiti, cachinnos Spartanâ nobilitate concoquemus, ut videant quid Schola ad Sapiëntiam contulerit. Quod scitè olim Eubæus ille adolescens ad impositas plagas Patri respondit. Vovverius, cap. i. De Polymathia.

V.

An Vita Scholastica nihil à Voluptuariâ differat?

Hoc Chrysippus testatum reliquit. Et conceditur, si Voluptuariam explices honestâ interpretatione: quòd nempe qui student bonis literis, magnam ex ipsis capiant jucunditatem. Atq; ita nos omnes meritò sentire decebat. Quamquam n. aspera ad Virtutem est via, &

Virtutem posuere Dij sudore parandam:  
Hâc tamen semper dulcedine cursus ille suos alit, ut tanquam bonæ mentis amatores omnia ea suas laudes interpretentur & commoda, quæ alij aut frivola loquacitate contra ipsos deblaterant aut tanquam obstacula malignè opponunt. Meum sanè animum titillat rectè factorum conscientia, nihil mihi quoq; jucundius esse solet, quàm

————— (quò nihil majus Parens  
Natura genuit operis immensi artifex)  
Coelum intueri, —————  
Mundiq; motus, Solis alternas vices  
Orbemq; Phœbes, astra quem cingunt vaga,  
Lateq; fulgens ætheris magni decus.

Ut



Ut loquitur Seneca, in Octaviâ, Act. 2. Sc. 1. Si quis autem voluptuariam vitam intellexerit τὴν ἀπολαυστικὴν, vitiosam; de veris Scholasticis nego. Scholasticum n. ἀπὸ τῆς σχολῆς deduci, vel tenuissimè Græcè scientibus notum est. Scholæ a. dictæ sunt, (inquit Festus) non ab otio & vacatione omni, sed quòd cæteris rebus omisiss, liberalibus Studiis homines strenuè vacarent. De luxuriantibus verò nostri Ordinis concedo. Inter hos sunt I. Quibus in Academijs viventibus plus debitò ad usum transfer- tur Ode Horatianâ:

Nunc est bibendum, nunc pede liberò  
Pulsanda tellus.

Quibus parentes literas missuri, hoc solùm necesse habet inscribere:  
Meo, studiorum gratiâ in Academiam misso.

II. Qui quondam invalescentibus erroribus Pastorum vecor- diâ, Scholasticorum nomine exorti sunt. Homines qui cum sedem docendi vacuam conspicerent, præclaris tamen nominibus specio- sam, instar eorum, qui è carceribus ad Tempia confugiunt, ultrò ex infimis sedibus in illam invaserunt. Monachi inquam: Schola- stici dicti, quòd eam doctrinam tenerent, quæ in Scholis tradeba- tur, tanquam publicè approbata; & quòd difficilem disputandi ra- tionem retinerent, adeò ut aliam docendi viam in publicò sequi cogerentur. Danæus, in Lombard. Proleg. cap. 1. Hi itaq; κατὰ ἤθειαν, γασίρας ἀργαί, Ut ut quidam literis sed barbarè incumberent, pleriq; tamen omnes Murciae & Vacunæ litârunt. Adeò ut de ipsis jure conqueri possimus, quòd Salvianus de sui temporis Ecclesiâ lib. 1. Contra Avarit. Quantum tibi copiae accessit, tantum disciplina recessit, & prosperitas venit questuum, cum magno fæno- re detrimentorum, & paulò post: Diffundisti per omnem mundum religiosi nominis membra, religionis vim non habentia: ac sic esse capisti turbis opulens, fide pauper: quamò ditior multitudine, tan- tò egentior devotione: latior corpore, angustior mente; eademq; ut  
ita

ita dixerim, & in te major, & in te minor, novò penè & inauditò  
genere processùs & recessùs, crescens simul & decrescens, &c. Er-  
gò otio abundantes & rebus affluentes nescio quas quaestiones in-  
vexerunt, anxieq; disceptarunt, inter quas hæ non postrema: An  
Deus possit quidvis malum & odium sui præcipere, & om-  
ne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui? An  
possit universalem naturam sine singularibus producere  
& conservare? An anima Christi potuerit mentiri? Utrum  
Pontifex Romanus sit simplex homo, an quasi Deus? An  
participet utramq; naturam cum Christo? & alia ad quas  
totâ mente exhorresco. Adde spinosas farragines de realitatibus,  
entitate, hæcitate. Vid. Danæum, locò cit. cap. 2. In quibus  
sunt secuti Grammaticos antiquitus, qui talia querebant:

An libidinosior Anacreon vixerit an ebriosior?  
An Sappho fuerit publica? An Hecuba minor Helenâ? Qui-  
nam anni Patrocli & Achillis? Ubi Ulysses erraverit?  
Quem idem Ulysses remigum numerum habuerit? Prior ne  
scripta Ilias an Odyssea? Quod Achilli nomen inter virgines  
fuisse? Quid Sirenes cantare sine solitæ? Num aliquis usus  
carnis elixæ temporibus Heroicis? Ubi sacrum Urinarium  
quò Patres conscripti vesicam exonerarent? Quot fibulis  
staret vestis? Ultra Veneris manus à quadrato & clamoso Dio-  
mede vulnerata sit? An Didun Æneas amaverit? Quò crure  
Philippus fuerit claudus? Quæ nomina equò Trojanò abdi-  
torum? Quosnam sociorum Ulyssis Cyclops devoraverit,  
quos Læstrigones? An Therfites bellò Trojanò apoplecticus  
interierit? *Et quæ*

Cætera de genere hoc adeò sunt multa, loquacem  
Delassare queant Fabium.

Vide sis Senec. ep. 88. de brevit. vitæ, cap. 13. Sueton. Ti-  
berio.

berio, c. 70. Serv. 1. Æneid. V Vover. Polym. c. 10. Euphorm. part. 1. Satyr. *Hæc, quisquis vult, quærendi & respondendi voluptate fruatur: eam appetere, est meâ sententiâ hominis sibi irati & veram jucunditatem invidentis. Verùm si isti sunt tanti solvendorum obscurorum artifices, enodent hanc ex AGell. lib. 9. c. 15. controversiam:*

## VI.

*De reo septem iudices cognoscant; eaq; sententia sit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Cùm septem iudices cognovissent; duo censuerunt reum exilio multandum, duo alij pecuniâ, tres reliqui capite puniendum. Petitur ad supplicium ex sententia trium Judicum, & contradicit. Queritur:*

*Quomodo hoc ἀπρόσῳν, seu inexplicabile dictum solvi possit?*

*R. Stengelius, cap. 1. de insolub. S. 8. ipso factò; sicuti Jesuitæ in Politicis etiam de factò solvunt. Nos dicimus primum ope Grammatices posse enodari.*

## VII.

*An quantitas discreta sit continuâ Prior?*

*Uti pugnat Doctissimus Molineus, Introduct. Logic. c. 3.*

## VIII.

*An affectiones, quæ ad demonstrationem veniunt, à subjecto realiter debeant esse distinctæ?*

*Quæ opinio Thomæ tribuitur.*

C

IX An

## IX.

An frigus in nive sit extraneum non essentialiale?

*Ut vult Campanell. l. 1. de sensu rerum, c. 2.*

## X.

An mista constant ex atomis?

*Quemadmodum subtilissimus Scal. in definitione mistionis, corporum minimorum mentionem facit. Exer. 101. distinct. 1.*

## XI.

An species intelligibiles non sint necessariae, & eas ponere non sit bonis Peripateticis consentaneum?

*Quod ex Albert. desumptum Joh. Picus Mirand. in principio 900. conclusionum Romae disputandarum posuit.*

## XII.

An non sit ἀμάχημα μνημονικόν, quod Sen. initió l. de brev. vit. Aristoteli tribuit, morituum accusasse naturã, quòd animalibus tantum indulisset, ut quina aut dena secla educerent: homini v. in tam multa ac magna genito tanto citiorem terminum stare?

Et

## Conclusio.

Et hîc sistimus, orantes veniam bonos, & doctos informationem. Volui meo Parastatæ gratificari; sed & ex officio debui. Ergò vel sub styli acumine hæc erant proponenda. Nihil a. simul consummatum est ac inceptum: & à perfectò longè semper abfuerunt primordia. Hæc ponderans disco: sed adhuc pleraq; docendus. Non-dum n. veritas est occupata; multum etiam ex illâ futuris relictum, dicente *Senec. Ep. 33.* Observent itaq; arctè alij mecum illud ejusdem, *Ep. 6.* Si cum hæc exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam nec enunciem, rejiciam. Nemo, quæso, sibi uni sciat; nec cum Grammatico Gelliano inscitiioribus sua invideat.

*DEO autem ter OPT. MAX. ad cujus magnitudinem nostra parvitas semper confugere debet, sit non finiendis Gloria seculis.*

---

### IN LAUDES Disertissimi Dn. RESPONDENTIS *Alcaum Græcum.*

Πολλῶν τεχνῶν εὐδεδασμένον  
Πῦρ ἔμεν δοτειρῶν ἔβισ ὀρθίς,  
Πρίκιλμα κίνης μύθῃ ἔχεν τ' ἔπει  
Ἐὺν τῷ ἀραυῆς εὐφροσιῶς ἀλί,  
Τῷ δ' ἄνδρα θείῳ εἰκελον ἐμποιεῖ,  
Γεγῶτα ἔκ τ' γηγενέῳ πατρὸς.

Ως

Ως Φαντὶ Φῶπε τῆς ἀκαδημείας,  
 Ὁ γὰρ καλὸς ἰὸς ὑψιθρόνος θεῶ  
 ὄντων ἀπάντων ἰδμοσιώην μάθεν,  
 Ἐπιπνεόντων πυροφόρον γέην,  
 Καὶ ἐν θαλάσῃ νηχομένοις ἴσων,  
 Καὶ δὲ θεῶ εἰς ὧπα δεδοκότων,  
 Παμποικίλοισι πρήγμασιν ἀρά γι.  
 Κεδνώσ παλάειν τ' ἔμμεναι ἐν μέναι,  
 Πίνημ' ὑπ' ἀρχαίς ἐλλογίμω βροτῶ.  
 Σοφοὶ γὰρ εἶπον, δημοσίας μάχας  
 Φυγὴν καθεῖναι τὴν μεγαλόφρονα  
 Τῶδε χρεὶ παρδατικῶ ἀγλαῶ.  
 Ω Αἰγίονιθ<sup>Ⓞ</sup> πέλεν ἰδρις ὦν  
 Διδαγμάτων δὲ παρδατικῶ γένεας,  
 Ω Αἰγίονις ποικιλόμυθ<sup>Ⓞ</sup> ὦν,  
 Ἡδὲ ἀρηγῶν ἴσιν ἔθεν λόγων  
 Κρύπτε<sup>Ⓞ</sup> : ἕνεκ' αὐτὸν ἐπαμνέω,  
 Αἴζηός ὡς μὲν μισοφορεῖ κλυτός.

*Christiani Veberi Halensis S.*

FINIS.



Op. var. 87<sup>6</sup>

V  
De

